AD ELIZABETHAM REGI-
nam Angliæ, Franciæ, Hyberniæ. &c. de Iu-
stificatione elegiaca pauca, Iacobi VVhitti
Scoti, Londini, ludimagistri.

1213. m. 10
3

PAnde Helicona deus, Christum discamus ad unguem
Sancte tuum, vates quem cecinere sacri.
Nos genus humanū, tibi forma, & imagine fingis
par: morem vt monitis quisq; tuis gereret.
Legis at immemores, postquam fœlicibus aruis
culpa corruptos expulit Eua parens.
Peccato seruos, mors (libertate cadente
qua stetimus) necuit, Tartara ad ima trahens.
Ah, genus ingratum perijt reparabile nunquam,
ni tua progenies morte tulisset opem.
Dum assequimur promissa, fide, deus omnibus vnus
Christus sola salus: non opus, aut meritum.
Haud præcedit opus, sequitur sed iustificatum,
iustitiæ vt signum: quæ data cuiq; fide est.
Omnibus est operādum, operi sed nil tribuendum:
ne Christus frustra mortuus esse velit.
Fustificaret opus, perfectum si foret vnquam:

Legi opus at nunquam sufficit, ergo necat.
Instar damnati furis cruce pascere coruos,
regia quem seruat gratia, lege reum.
Nec natura potest fructus vitiata venustos
ædere, nam, radix labe perusta manet.
Quisq; fuit mundi a cunis orare precando
iussus, dimitti crimina cuncta sibi.
Gratia saluat oues, gratis, quotquot periere:
lex terret, damnat, conterit, & iugulat.
Vitam Christe dabis promisso, lege meremur
mortem, quam cunctis propulit alma fides.
Sancta fides legem sacram num reddit inanem?
absit: confirmat, roborat, & stabilit:
Damnatos omnes, legis sed liberat ira:
et meritum, quod mors, tollit amanda fides.
Vt nos, Christe deus, gratis, tua gratia saluet:
quæ data nulli vnquam, qui periisse negat:
Sed, se iure tuis damnatum legibus ante
concedet, quàm se, subleuet alma fides.
Mortua quæ non est, sed fructus arboris instar
fœcundæ, dulces ædit, odore bono.
Arbore non fructus prior est, non ante parentem
proles, sic, causam non opus ante fidem:

Sed ſequitur famulans, ſolem vt radius comitatur
effectus: ſol nam eſt cauſa ſui radij.
Viua fides radians ſicſic opus omne propagat,
aſcribenda tamen gratia nulla operi eſt.
Omnis ſed fidei conſtanti fœdus Fouæ
promiſſum amplexæ, ſit tribuenda ſalus.
Non quà opus eſt, ſed, iuſtitiã quà apprehẽdit Feſu,
dicitur alma fides iuſtificare homines.
Finge manus ſumat mendici a diuite donum,
eſuriem pauperis non iuuat ipſa manus:
Sed, donum locuples quod egeno præſtitit: ergo
gratia ſola ſalus, ſed, præeunte fide.
Cui, propter Chriſtum, iuſtus quis ducitur eſſe,
peccatum haud tribuis, ſed, pater, omne tegis.
Fuſtitia ex nobis cuncta eſt ceu menſtrua ſpurca,
ſi ſeſe, quid ſit, pendere quiſq; velit.
In ſeruatorem quid inanis gloria iactat
mentes humanas? quid fera corda tument?
Inſtar ſerpentis veteris, genitoris Adami,
noſtri, quid noſtris oſſibus, hæret amor?
Cur theomachi homines? cũ, cuncta accepta feramus,
Chriſte tibi ſoli: ſanguine quòd redimis.
Credentes omnes promiſſo, iuſtificamur:

ſic, ſcriptura docet ſacra notata Deo.
Hanc piſtim impoſtor, ſi contra incredulus oſus,
fingis opus cœlos poſſe parare tuum:
Falleris inſipiens, ſerpentem docte peribis:
te in Phlegethonta ferent fulmina tela Iouis.
Dant ſæuas ſontes pœnas, vbi Cerberus atrox
pallentes animas deuorat, ore terit.
Det deus vt verbum regnet ſine fine perenne,
quo audito, ſanctus ſpiritus ille datur:
Sed minime cunctis, ſolum credentibus hiſce,
qu os flatu renouat, quos noua vaſa facit,
Queis carnem ſubigit, veterẽ propulſat Adamum,
quos iungit Chriſto, membra renata Deo.
Regnanti verbo, redeunt ſaturnia regna:
quiſq; feret nomen ſidera ad alta, Deus.
A te principium muſæ, ſic, deſinet a te
Chriſte, rati quòd ſis, anchora, tuta ſalus.

FINIS.